

_Lettera_N_1192

Al papa Pio IX

A Domo sodalitia Pagi Mirabelli, quarto idus Junii MDCCCLXVIII 10 giugno 1868
Beatissime Pater,

Humillime ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus supplex deprecar ut Sancti
Francisci Salesii Societatem paterna ac consueta bonitate tua adspicias,
eidemque, sienti optimum in Domino visum fuerit, provides.

Abhinc quatuor annis amplissimis verbis hanc nascentem Congregationem
commendare dignatus fuisti ad instar Congregationum votorum simplicium, dilata
tamen ad opportunius tempus Constitutionum approbatione. Attentis peculiariibus
circumstantiis generalem superiorem, ejusdemque successorem consti tuebaso
Temporis vero opportunitatem ad hoc opus perficiendum praesens tempus,
Beatissime Pater, ex tui cordis erga nos voluntate, habere dignare. Nam per acta
et viginti circiter annos existentia hujus Societatis inter tot malorum tempo
rum perversitates; commendatio, quam saepe saepius de eadem fecisti; adprobatio
Dioecesana Episcopi Casalensis; litterae supplicatoriae Antistitum Provinciae
Ecclesiasticae Taurinensis, aliorumque Antistitum et praecipue Eminentissimorum
Cardinalium De Angelis, Sanctitatis Tuae Camerlingi; Antonucci Archiepiscopi
Anconitani; Corsi Archiepiscopi Pisani; dies denique mei, qui jamjam vertunt ad
occasum; atque alia quae separatim adnotantur, Salesianae Societatis
approbationem esse summopere necessariam suadere videntur.

Quod si Sanctitas Tua, Beatissime Pater, hanc supremam approbationem bonum in
Domino non dijudicaverit saltem concede ut socii, qui clericalem militiam
prosequuntur, sacros ordines admitti possint et valeant ab Episcopo Casalensi,
licet ad aliam Dioecesim pertineant. In illa enim Dioecesi juniorum seminarium
et sodalitia domus jam pridem fuit instituta.

Congregatio ista, quae creatura tua dici potest, Beatissime Pater,
benedictionem, soliditatem, certum quodam existendi modum, summa videlicet atque
Apostolica approbatio, a Te expectat. Faxit Deus, ut nostrorum votorum compotes
fiamus.

Dum autem ad hunc finem quotidie preces ad Deum enixe perfundimus, omnes ad
Pedes Sanctitatis Tuae provoluti humiliter tuam sanctam et Apostolicam
benedictionem expostulamus.

Mihi autem prae omnibus felicissima sors contingit ut nominatim possim me
profi teri .

Beatitudinis Tuae

Humillimus, Addictissimus Filius et Famulus Sacerdos Joannes Bosco